

merant incolumitatem, conservationemque omnium partium, valetudinem, sensus integros, doloris vacuitatem, vires, pulchritudinem, ceteraque generis ejusmodi: quorum similia sunt prima in animis, quasi virtutum igniculi et semina. Ex his tribus quum unum aliquod sit, quo primum natura moveatur vel ad appetendum, vel ad repellendum, nec quidquam omnino, praeter haec tria, possit esse: necesse est omnino officium aut fugiendi, aut sequendi, ad eorum aliquod referri; ut illa prudentia, quam artem vitae esse diximus, in earum trium rerum aliqua versetur, a qua totius vitae ducat exordium. Ex eo autem, quod statuerit esse, quo primum natura moveatur, existet recti etiam ratio atque honesti, quae cum aliquo uno ex tribus illis congruere possit, ut honestum sit, facere omnia aut voluptatis causa, etiamsi eam non consequare; aut non dolendi, etiamsi id assequi nequeas; aut eorum, quae secundum naturam sunt, adipiscendi. Ita fit, ut, quanta differentia est in principiis naturalibus, tanta sit in finibus bonorum malorumque dissimilitudo. Alii rursus iisdem a principiis omne officium referunt aut ad voluptatem, aut ad non dolendum, aut ad prima illa secundum naturam obtinenda. Expositis jam igitur sex de summo bono sententiis, trium proximarum hi principes: voluptatis, Aristippus; non dolendi, Hieronymus; fruendi iis rebus, quas primas secundum naturam esse diximus, Carneades, non ille quidem auctor, sed defensor, disserendi causa fuit. Superiores tres erant, quae esse possent: quarum est una sola defensa, eaque vehementer. Nam voluptatis causa facere omnia, quum, etiam si nihil consequamur, tamen ipsum illud consilium ita faciendi, per se expetendum et honestum, et solum bonum sit, nemo dicit; ne vitiationem quidem doloris ipsam per se quisquam in rebus expetendis putavit, ne si etiam evitare posset. At vero facere omnia, ut adipiscamur, quae secundum naturam sunt, etiamsi ea non assequamur, id esse et